





~~47~~-43.  
43  
DEO TRINUNO AD-JUVANTE!  
PERICULUM HOC JURIDICUM

*De*  
**U S U R I S,**

Auctoritate & consensu Amplis-  
simi Jctorum Ordinis in Academia  
Lipsiensi,

SUB PRÆSIDIO

V I R I

*Nobilissimi, Amplissimi & Excellentissimi*

**DN. QVIRINI SCHACHERI,**  
Ph. & J.U.D. P. P. P. Judicii Appellationum,  
Electoris Saxonie Consiliarii, Consistorii Lipsiensis Adses-  
soris, nec non Juridice Facultatis Senioris, Patroni & Pro-  
motoris sui æternum colendi,

*facere intendit*

**JOACHIMUS SCHNOBELIUS, Hamb.**  
A. & R.

IN ACROATERIO PETRINO

ad diem 4. Maji.

ANNI M. DC. LV.

Horis Consvetis.

---

LIPSIÆ, Ex Officina BAUCHIANA.

*Mon. J. J. P. v.*

+  
 DEO TRININO ADORANTE  
 PERICULUM HOC PERICULUM  
 U S U R I S

Auctores & compositores  
 in hunc ordinem adhibentur

SUB TITULO

V I R I

Reverendissimi Consilii R. Excelsissimi

DN. QUIRINI SCHACHNERI

P. & J. U. D. P. P. Iudicis Appellacionum

Electoris Saxonie Consilii, Consilii in Lipsia Adh.

Solei ac non Juridice Facultatis Seniore, Patris & Fro-

doctore in Aritmetica, Geometria, Astronomia

IOACHIMUS SCHNOBELLIUS, Hamb.

A. R.

IN AEROTERIO PETRINO

ad domum 1. Maji

Anni M. DC. LV.

Königlichen Consilii

—————  
 HERRN CONSILII SENIORS

*Handwritten signature*  
 Joh. Schnobellus





## I. N. J.

**D**UO sunt potissimum *l. 2. §. 9. in fin. C. de Vet. Jur. enucl.* quæ nos ad solidam ac perfectam Juris scientiam perducunt, *animi nempe ac lingvæ eruditio.* Quarum utraque alteri adeo conjuncta esse debet, ut si alterutra, aut intermittatur planè, aut serò nimis negligenterque tractetur, frivolum omne sit ac vanum, quodcumque in legibus collocatur studium.

Præcedat quidem necesse est animi eruditio, ita tamen præcedat, ut lingvæ exercitatio, quæ intelligendi prudentiam acuit, vestigiis post se relictis proximè insistant. Parum quippe juvat cognovisse leges animo, nisi cognitarum concordans discrepantia placida atque amabili lingvarum desceptatione patefiat. Atque hæc causa est, Lector optime, quæ me permovit ut in arenam hodiè descenderem. Quam in fronte brevibus exponere volui, ne, dum primum hoc in sanctissimâ civili Prudentiâ periculum facio, in commune illud periculum, quod maledici multis injustè creare solent, incautus inciderem. Sed ad rem ipsam manus applicanda est. Quæ ut feliciter succedat faxit Dominus noster JESUS CHRISTUS, in cujus nomine ad omnia consilia omnesque actus semper progredimur *l. 2. C. de Off. Præf. Urbi.*

### THESIS I.

**D**E USURIS autem dicturi, ut juxta *§. est & aliud 2. Inst. de §. 1. Donat.* ostendamus quàm consequens nomen rei, quæque vis subjecta voci sit, secundum *Cic. lib. 2. fin.* vocem ipsam omnium primò considerabimus. † Dicitur autem ab usu, juxta *Varronem lib. 4. de lingv. lat. & Isiod. lib. 5. Etymol.* quia propter usum rei creditæ à debitore præstatur: quod innuit *l. socium 60. ff. Pro*

*A 2 sociis*

3. *socio l. deducta 58. §. cum autem 6. ff. Ad SCtum Trebell.* † Græcis vocatur *τόκος* hoc est, *Partus* ὄντος τῆς τίνος parere, quod fors mutuo data pariat lucrum ei qui dedit *l. si bene 33 ff. b. t. Rebuff. in l. usura 121. ff. d. V. S.* † Nonnunquam dicitur *Impendium*, ut Varro *l. 4. & 5. de lingv. lat.* Ciceroni & aliis, quæ scilicet ea pecunia in usum creditæ sortis impendatur: Nonnunquam *Fœnus*, quasi à foeturâ pecuniæ parientis atq; incrementis, ut idem Varro scribit *lib. 3.* & ex eo Gell. *lib. 16. noct. Att. c. 12.* † Sumitur autem multis modis, & quidem apud Classicos interdum pro usu, quemadmodum in illo Ciceronis videre est contra Rul. *exigui temporis usuram postulo*; itemque in eo pro Syllâ, *lucisne hanc usuram eripere vis*: interdum pro fructu & utilitate, quod factum ab eodem Rhetore est, dum *terra*, inquit, *nunquam sine usura reddit, quod accepit*: interdum, sed rarius, pro familiaritate ponitur, quod ejusdem autoris verba indicant quando ait, *longa quæ inter nos fuit usura, hoc effecit*. Apud JCtos verò latè vel strictè accipitur Latè & propriè quando omne id significat quod præter sortem creditam debitor ex conventionem vel morâ creditori solvere tenetur. Strictè verò & impropriè sumitur à Canonistis, qui hoc vocabulo usuram illicitam atque delictum, quod quis illicitè fœnerando committit, designant, ut videre est apud Covarruv. *Tom. 2. var. res. lib. 3. c. 1.*

#### THESIS II.

Nos propriam acceptionem retinemus, & juxta illam *Usuram* definimus, quod ea sit certa quantitas arg. *l. 26. C. de usur. qua propter usum sortis Ad. l. 58. ff. ad SC. Treb. d. l. 60. ff. Pro socio: ex conventionem vel morâ à debitore exigitur.*

#### THESIS III.

§. I *Dividi* autem solet usura Imò ratione quantitatis in *Licitam* & *Illicitam*. *Licita* est, quæ legitimo modo *l. 10. §. 3. ff. Mand.* id est secundum præscriptam à legibus quantitatem exigitur. *Illicita*, quæ supra licitum atque statutum modum promissa *l. solutam 11. §. 3. ff. De pign. act. l. 26. pr. ff. De cond. ind. l. 29. ff. b. t.* à debitore postulatur. † At quæret quispiam, solane quantitas sive summa major aut minor an reddat usuram licitam atque illicitam? Et quod reddat, statuimus. † Quam enim *Canonista* *illicitam* dicunt, quæ propter datam mutuo pecuniam exigitur, canon

eam omnino licitam putamus, nec per se malam, sed ex acciden-  
ti, quatenus personarum quæ petunt mutuo respectum non ha-  
bens rationem humanitatis excedit, ac cum afflictione & morfu  
proximi conjuncta est. † Pauperibus quidem & mendicis 4.  
gratis mutuò dandum esse verbis Christi *Luc. 6. v. 34. precipitur:*  
à divitibus verò atq; iis, qui emedi vèdendi & alio quæstu ducun-  
tur aliquem fructum pro lucro cessante & damno, quod è planè  
gratuito mutuo eventurum erat exigere, nullà lege prohibetur.  
† Et certè cùm Canones in aliis contractibus usuras, quæ à de- 5.  
bitoribus ultra sortem principalem ratione interesse non tan-  
tum damni emergentis sed & lucri cessantis recipiuntur, admit-  
tant, secundùm Abb. Covarruv. & alios in *c. conquestus extra de*  
*usuris*, non video, cur non pari æquitate suffultæ leges Civiles  
easdem usuras ad contractum mutui accedere patiantur. Cessat  
enim lucrum, quoties ipse creditor adhibitâ solitâ industria ex  
suâ pecuniâ quid acquirere potuit, juxta Covarr. *Tom. 2. ref. 3. c. 1.*  
*n. 3.* † Ad hæc, quoniam ejus quod interest difficilis admodum 6.  
probatio est, ad stipulante Covarruviâ, citato locò non videre  
se, inquit, quâ ratione possit congruè colligi damnum, meritò  
Jus Civile hujus difficultatis tollèdę causâ permisit certas usuras  
locò ejus quod interest, non carere suâ pecuniâ. † Non dicam 7.  
de annuo reditu pecuniâ solvendo, qui sub alio nomine intro-  
ductus nihil ferè aliud est quàm usura, cùm venditor pluribus  
solutionibus, definito tempore separatim factis, non modò sor-  
tem sed etiam plus ultrâ reddat, ea que propter ut ab eo tanquam  
admodum suspecto Christiani abstineant hortetur, Carol. Mo-  
lin. *de contr. qv. 71.* itemque Covarruv. *d. l. c. 7. p. 221.* Neminem  
enim ex catholicis, nisi nodum in scirpo quærentem, de æquita-  
te harum usurarum dubitare arbitror. † Descendo itaque ad 8.  
Ildam Divisionem vel (si mavis) distinctionem, quâ ratione ma-  
teriæ *Propria* alia dicitur usura, alia *Impropria*. *Propria* est quæ  
solvitur ex eodem genere: ut cùm quis pecuniæ creditæ usuras  
pecuniâ solvit. *Impropria*, quæ ex diverso genere solvitur, veluti  
si pro frumento traditus soluto accedat numerata pecunia, ad-  
de *l. 8. C. Si certum pet. § N. 32. c. 1.* † Dividitur Illud Usura ratio- 9.  
ne Finis in eam, quæ *primariò* interesse creditoris spectat & eam,  
quæ *secundariò*. Quæ *Primariò* interesse creditoris respicit pe-  
culiari

culi: in nomine Fœnus dicitur *arg. l. 11. l. 13. §. 1. l. 9. §. 1. ff. De Usur. l. 34. ff. de reb. cred. & à Dd. Usura lucratoria: differtqve ab altera cum causâ efficiente, quoniam hæc tantum ex stipulatione aut certis modò casibus ex nudo pacto debetur, altera verò tam ex stipulatione & pacto quàm ex morâ præstatur: tum adjuncto, quippe fœnus tantum pecuniæ creditæ accedit & contractui mutui solummodo adjicitur, altera vero tum pecuniæ creditæ cum contractibus stricti juris & bonæ fidei ac sorti ex quacunque causâ debitæ accedit. Differt denique effectu, quia fœnus ex die, quo pecunia credita est, currere incipit, altera vero usura ex tempore moræ. Propter moram enim non solventium infligitur *l. cum quidam 17. §. si pupillo 3. ff. De usur.* † Subdividitur autem Fœnus in *Nauticum & Terrestre. Nauticum* est quando navigaturo pecuniâ creditur, eâ lege, ut contra naturam mutui *l. 11. C. Si cert. pet. §. 2. Inst. Quib. mod. re contr. obl. pecunia sit periculo creditoris l. 1. ff. De fœn. naut.* nisi culpâ creditoris amissio ejus acciderit *l. 3. C. Eod.* Idque iterum vel *proprium* est, quale modò descripsimus, vel *improprium*, uti hoc cum piscatori pecunia datur, ut si pisces ceperit, reddat *l. 5. ff. d. t.* Terrestre fœnus est, de quo hic agetur. † Illa verò usura, quæ *secundariò* interesse creditoris considerat, vel creditorem potissimum respicit, & à Dd. compensatoria dicitur, quoniam ea lucrum, quod abest legitimâ quantitate compensat, cum inter sit creditori pecuniâ suâ non carere *arg. l. socium 60. ff. Pro socio*; vel debitorem spectat, ut ejus moram coërceat, unde in textibus Juris Civilis poena vocatur *l. lecta 40. ff. De rebus cred. & c.* quatenus poena omnium delictorum coërcitio est *l. aliud fraus. 131. ff. De V. S.* Hæc de Divisione sufficiant.*

#### THESIS IV.

§. I. Sequitur *Causa Efficiens.* Et remota quidem est Jus Gentium. Usus enim & indigentia hominum eas haud secus ac contractus *l. 2. Inst. de I. N. G. & C.* quibus frequenter accedunt, introduxit. † Nec compensatorias tantum & punitorias, sed etiam quas Dd. dicunt lucrativas. Inventis enim nummis cum, cerneret pronus ad lucrum humanus animus, se quibusdam mercibus præsentî pecuniâ comparatis multum locupletari posse, ad



se, adinvenit hoc medium, ut paratâ pecuniâ deftitutus ab altero mutuum sumeret, atque ei, qui & ipse suam pecuniam in res lucrum afferentes, prædia puta & agros, collocare poterat, aliquam summam nomine usurarum promitteret. † Ab hoc communi omnium hominum jure usurarum usus in Jus nostrum receptus & certis limitibus circumscriptus, tandem que à Justiniano confirmatus. Efficientem causam quodammodo propinquiores cepit habere, Jus nempe Civile. † Proxima verò earum causa est ipsa Conventio & Mora, quæ obligationem firmiter inducit.

#### THESIS V.

Vidimus Causam Efficientem; progredimur itaque ad Subjectum seu personas cum constituentes tum exsolventes. Possunt autem constituere omnes illi, qui consentire, atque eos contractus, queis adjiciuntur usurae, inire possunt: quales sunt domini, qui rei alienandæ jus habent, filii familiæ & servi res peculiares vendentes aut nummos mutuò dantes *l. 11. §. 2. ff. De reb. cred. Mandatarii nomine mandantis. l. 4. C. S. cert. per. l. si quis 24. §. 2. ff. de usuris Procuratores cum liberâ, sive speciali mandato ut usuras stipulentur a. l. 9. §. 4. ff. De A. R. D. l. 58. l. 60. ff. De Procurat. Tutores & Curatores nomine pupilli & minoris, illi enim quantum aut providentiam domini locò habentur *l. 26. l. 9. ff. De admin. & per. tut. modò si fœnerari pecunias minorum cupiunt id faciant captis pignoribus Nov. 77. c. 6. & 7. Administratores item Ecclesiæ Nov. 40. in Pref. §. 1. & Rerum publicarum, Officiales Præsidis, qui perpetui sunt in provinciâ *l. 34. ff. de reb. cred. nec non personæ illustres, l. 26. C. h. t. quoniam nihil turpitudinis in se habent usurae nihilque infamiæ, ut falsò putavit Jul. Clar. 5. sent. §. usur. in f. eos, inquiens, qui exercent usuras intra modum à Jure Civili permissum, esse ipso jure infames, cum *l. 20. C. Quibus caus. infam. irrog. ad eos, qui improbum fœnus & usurarum usuras exigunt pertineat. † E contra verò illi, qui vel ipsi consentire non possunt, vel plenam atque liberam administrationem non habent, quamvis debitores moram neccentes ipso jure ad usuras quoque teneant obligatos, constituere tamen usuras pacto aut stipulatione non possunt. Sicuti nec Præses Provinciæ *l. 33. ff. De reb.*****

*De reb. cred. l. 3. C. Si cert. pet. fœnebrem exercere, ne fortè prætex-  
tu mutui dati diutius, quàm par erat, in Provincia commorare-  
tur. Quod tamen nostris moribus, ubi ferè omnes Magistratus  
perpetui habentur, nec in Galliâ, nec in tota fermè Europâ ob-  
servari monet Gvilibertus Bugnion in legibus abrogatis Sat. 28.  
lib. 1. Paris de Puteo in tr. de Syndicatu, ve. bo contrabo. pag. 86.*

§. † Haftenus de iis, qui constituunt & acquirunt actum est, queis  
breviter subjungimus eos, qui *exsolvunt*. Sunt autem omnes ii,  
qui præcedenti contractui firmiter inito stipulando aut paci-  
scendo usuras adjecere, aut ex quacunque causâ debitæ sortis  
solutionem differendo earum obligationem ex morâ contra-  
xere.

#### THESIS VI.

§. <sup>1.</sup> Perspecto jam subjecto, accedimus ad *Objectum seu Mate-  
riam*, ad quam pertinent non nummi tantum *l. 1. 2. C. h. t. C. passim*, ut voluit Zasius in *l. 2. ff. De verb. obl.* [nisi per nummos pe-  
cuniam intellectam volumus, quod tamen, quia nummorum  
significatio strictior est quàm pecuniæ, uti demonstrat. *l. litigato-  
res 11. §. 2. ff. De recept. C. qui arb. rec.* admittere non possumus] sed  
omnes res fungibiles, quarum usus est in abusu, uti sunt quæ  
pondere, numero & mensurâ constant, hoc est, quæ per appen-  
sionem & numerationem in usu commerciorum potissimum  
solent determinari, uti aurum, argentum, frumentum veluti  
hordeum *l. 12. C. h. t. triticum l. 16. eod.* & quilibet fructus fundi  
vinum nempe oleum &c. *l. 17. C. hic junctâ l. 23. eod.* † Hæ enim  
res, quamvis ex bonitate suâ & dignitate æstimari possint, quan-  
titate tamen potissimum judicantur *l. 35. §. 5. ff. De contrab. empt.*  
unde & Jcti proprio eas nomine solent vocare quantitates *l. 6.  
C. Si cert. pet. l. ambitiosa 4. ff. de decret. ab ord. fac.* & reliquis interdum  
corporibus opponere ut in *l. 30. pr. ff. l. quod dicitur 5. pr. ff. De impê-  
sis in res dot. fact. l. qui heredis nomine 46. ff. De cond. ind.* quæ qui-  
dem corpora pondus habent & numerum non effugiunt, à pon-  
dere verò & numero æstimationem æque ac illæ non accipiunt.  
His positis linquimus *Materiam*. Formæ enim dignitas, quæ dat  
esse *Materiæ*, animum pariter ac calamus avocat.

THESIS

THESIS VII.

Consistit autem *Forma* in obligatione firmâ, ortâ ex legi- S. 1.  
 timâ debendi causâ, & certâ legibusque permiffâ quantitate cir- 2.  
 cumscriptâ, † Et quantum pertinet, ad *causas* quæ hîc quàm fieri  
 à nostrâ tenuitate potest accuratè ponderandæ sunt, sciendum, 3.  
 est duas esse earum præcipuas. *Conventionem* & *Moram*. † Præ-  
 statio enim longi temporis de quâ agitur in *l. cum de in rem ver-*  
*so 6. ff. De usur. l. 1. C. de Fideicom.* propriè causa non est, sed præ-  
 sumptio, quod sc. eæ ex præcedente obligatione solutæ fuerint,  
 Bart. ad *l. 1. C. h. t.* & post eum Borcholt. *tr. de usur. c. 3. n. 56. & seqq.*  
 cui præsumptioni tamdiu statur donec contrarium probetur. *l.*  
*cum de in rem verso 6. ff. h. t.* non autem obligat ad præstandum,  
 in posterum indebitè antehac solutum *l. si certis annis. 28. C. de*  
*paet.* Hâc itaque omissâ de reliquis duabus separatim agemus.  
 † Et *Conventione* quidem contrahitur obligatio duobus modis, 4.  
*Stipulatione* & *Pacto*. Ex *Stipulatione* usuræ indistinctè debentur,  
 sive stricti juris, sive b. f. judiciis adiciantur. Adiciuntur autem  
 præcipuè judiciis stricti juris, quoniam regulariter in iis non  
 nisi vinculo stipulationis obligamur *a. l. 3. C. de usuris*. † Regula- 5.  
 riter inquam, quia excipiuntur, ratione subjecti Fiscus & civita-  
 tes quibus, quantum ad mutuum, ex nudo pacto debentur usuræ  
 creditorum ab eis pecuniarum *l. etiam 30. ff. h. t.* itemque argen-  
 tarii queis contra *l. Titius 24. ff. de præsc. verb. l. 3. C. de usur.* singu-  
 lari beneficiâ concessit Justinianus *N. 136. c. 4.* ut eis etiam  
 absque stipulatione usuræ debeantur, motus insigni commodo  
 atque ingenti studio quod illi circa publicos contractus adhi-  
 bent. *d. N. c. 1.* † Deinde etiam ratione Materix certæ species, 6.  
 quæ quando mutuò datæ sunt usuræ ex nudo pacto deberi inci-  
 piunt, veluti frumentum vel hordeum *l. 12. C. h. t.* oleum & qui-  
 libet fructus fundi *l. 23. eod.* † Denique ratione adjunctæ actio- 7.  
 nis excipitur actio ex testamento, quæ ob favorem ultimæ vo-  
 luntatis in hoc passu judiciis b. f. comparatur *l. 34. ff. h. t.* ita ut  
 usurarum præstationem statim ex morâ admittat *l. in fideicom. m.*  
*3. in pr. & S. ult. l. usura 34. l. cum quidam 17. in fine ff. h. t.* quam-  
 vis alias in jud. str. jur. ne quidem à tempore L. C. usuræ debe-  
 antur ex morâ, uti concludit Goëddæus *tr. de contr. & comm.*

B

Stip<sup>o</sup>

8. *Stip. c. ii. conclus. 9. Donell. tr. de usur. c. 3.* † Licet autem in his stricti juris contractibus promissæ nudo pacto usuræ peti non possint, solutæ tamen neque ut indebitæ repetuntur neque sorti imputantur *l. si non sortem 26 ff. de cond. ind. l. 3. C. de usur.* quia naturaliter fuerunt debitæ, *a. l. 10. ff. de O. & A. d. l. si non sortem pr.*
9. † Quia & per retentionem pignoris usuræ pacto promissæ in his contractibus exigi possunt *l. 4. l. 22. C. de usur.* Quod verum est in iis usuris quæ in ipso principali contractu promissæ. Nam si post acceptum pignus promittantur majores usuræ, pignus prius datum pro illis majoribus recens promissis non potest retineri *d. l. 4. C. b. t. & ibi Sichard.* † Et hæc de obligatione ortâ ex stipulatione & in contractibus stricti juris potissimum dominante dicta sunt; pergimus nunc ad eam quæ ex Pacto & Morâ originem ducit, & in b. f. judiciis præcipuè locum habet. Ut autem ex Pacto debeantur usuræ, necesse est, ut in continenti adjiciatur *l. in b. f. 13. C. de Pact.* Sic enim non amplius nudum est, sed convestitur & sumit vires à contractu cui adhæret, *Sich. ad l. 4. n. 4. C. de usur.* vel saltem ex continenti subsequatur *l. 7. § 5. ff. de pact.* Quòd si verò perfecto contractu b. f. ex intervallo adjiciatur, nec vestitur cohærentiâ contractus, maneatque in suâ nuditate nec locum nec efficaciam habet gignendi creditori actionem *d. l. juris gent. 7. § 5. ff. de pact.* Ea enim tantum pacta insunt hiis judiciis & legem contractui dant, h. e. efficiunt ut principalis actio quæ ex contractu b. f. nascitur, extendatur quoque ad usuras, quæ in ingressu contractus, aut formatò contractu facta sunt. *d. l. 7. & l. cum dotem 10. C. de jure dot.* Quamvis si solutæ fuerint non repetantur, ut dictum est §. 8. † Mora denique firmam obligationem inducit, quando vel in ipsa re, vel in personâ mora fit. *a. l. 32. ff. b. t. In re mora fieri dicitur, cum ex solo tempore tardæ præteritionis ipso jure committitur l. in minorem 3. C. in q. bus usis in int. rest. non est. nec.* veluti si fortè non exstiterit **ui conv**iri debuit *l. sed etsi 23. ff. de usur.* aut si dies solutioni **lege ve** ab homine fuerit adjectus, sic enim nulla necessaria est **terpella**io, cum ipse debitor ea quæ promissu in memoriâ sua **vare** lebeat juxta *l. magnam 12. C. de contrab. & comm. stip.* neminemque oporteat conventionem vel  
admo-

admonitionem expectare, sed ultrò se offerre & debitum spontaneâ voluntate persolvere *l. 2. C. de jure Emphyteutico. junctâ l. 1. in fin. ff. de act. empti c. 31. de reg. jur. in 6.* † Quod tamen ad conditionales obligationes non trahendum, ut rectè monet Hug. Don. *tr. de mora c. 3. p. 67.* Bach. *ad Treutl. vol. 2. Diss. 3. th. 7. lit. D.* † Plures casus, in quibus mora ex re, aliàs à Dd. irregularis dicta, *a. l. Titia Sejo 87. ff. de leg. 2. committitur, qui videre desiderat, inspiciat. l. 5. C. de act. empti, l. 114. ff. de V. O. l. 2. C. de usur. l. 18. §. 1. ff. eod. l. 10. §. 3. ff. Mandati l. 60. ff. pro socio. l. 8. §. 1. & l. ult. ff. de cond. furt. & c.* † *In Personâ* mora fit, quoties interpellatus opportuno tempore & loco *l. 49. in f. ff. de V. O. l. 32. ff. de usur. id quod præstare debet frustratorie differt a. l. 3. §. ult. ff. de usur. l. 22. ff. h. t.* † Nihil tamen interest, an ipse creditor, an vero is cui ipse mandavit aut ille qui ejus negotia gessit, aut procurator ejus interpellaverit, modò ipsum debitorem, cum is sui potestatem faceret, non servum monuerit de debito. *d. l. 32. §. 1. ff. de us. l. si quis solutioni 24. §. 2. ff. eod.* nec refert, an semel interpellatus fuerit, *a. l. 32. ff. h. t. l. 87. ff. de leg. 2. l. 122. §. 5. ff. de V. O. an verò sæpius. a. l. 38. ff. de min. d. l. 122. §. 3.* neque denique an judicialiter *l. 1. & 2. C. de us. rei jud.* an extra judicialiter, ut *a. l. 32. pr. ff. h. t. & aliarum à Goëddæo in tr. de contr. & comm. stip. c. 11. n. 65.* adductarum, communiter concludunt DD. † Observandum tamen est, an frustrandi animo & eludendi moram nectat debitor. Non enim omne quod differendi causâ optimâ ratione fit moræ adnumerandum. *l. sciendum 21. ff. h. t.* Siquidem non parum sæpè accidit, ut necessariâ ex causâ impeditus differre solutionem cogatur. *l. 23. pr. ff. h. l. 17. §. 3. l. 21. ff. eod. & habeat interdum justam ignorantie causam l. qui in alterius 42. ff. de R. I. ob quam vel solvere omninò recusat aut ad judicium provocat l. qui sine 63. ff. eod.* Quæ tamen quamprimum sublata fuerit, demonstratumque erit debitori rectè à se peti, ex eo tempore in morâ esse incipit *a. l. si quis inficiatus 13. ff. Depositi.* † Sed ne in moræ descriptione, quæ ipso Marciano teste difficilis est *l. Mora 32. pr. ff. h. t.* adeò ut peculiarem ferè tractatum, si omnia ejus accidentia considerare velimus, requireret, diutius moram faciamus, ad *Quantitatem* alterum formale requisitum pergimus, eam quoque paucis

18. pro modulo ingenii nostri dimensuri. † Tenendum autem initio est non eandem semper quantitatem à Romanis olim fuisse observatam, sed eam pro varietate temporum & locorum variis modis identidem variatam. Inprimis verò eam quæ ex mutuâ pecuniâ colligebatur. Quippe crescente malitiâ hominum, cum & usuræ in tantum accrescerent, ut earum usu non sublevarentur egeni, sed planè opprimerentur, innumeris legibus diversò tempore promulgatis huic abusui obviam itum est, quantitasq; usurarum interdum odio fœneratorum, ex quorum libidine antea pendebat, ad minimam, unciariam putâ (*l. XII. tab.* & *lemiunciariam* (*rogatione tribunitiâ Tito Manlio Torquato & Cajo Plancio, Consulib.*) Interdum ad mediocrem summam redacta favore emolumentum quod in contractibus usuræ istæ præstant. *Nov. 136. c. 4.* usque dum tandem *Legitima* permilla fuit, quæ, quantum ex *l. 8. C. si cert. pet. l. 4. ff. de Naut. fœn. l. Lecta 40. ff. de reb. cred.* & aliis colligere licet, eadem fuit quæ *Centesima*. † In contractibus verò *b. f.* locum non habuisse centesimam aut certam usuram, testatur *l. 1. ff. de usur. l. idemq; 10 §. 3 ff. mandati.* sed arbitrio iudicis constitutam secundum modum, qui in regionibus frequentabatur *l. Et in contraria 37 ff. de usur. l. 26. C. hic.* † Ad hæc, neque ad fructus creditos centesimam pertinuisse ex eo iudicari potest, quòd pro iis etiam graviozem summam olim stipulari permissum fuerit *l. Oleo 23. C. h. t. l. 1. C. Theod. eod.* † Dicta autem fuit *Centesima*, non inde quòd in anno sortem æquet, ut multis visum est; sed quòd centesima pars sortis solvatur singulis mensibus *l. lecta 40. ff. de reb. cred.* h. e. cum singulis annis in solidos, vel aureos centenos, solvuntur aurei duodecim. Atque hinc factum est, ut hæc usura, cum duodecim partibus constet, rationem assis subierit, ejusque singulæ partes unciz nomen acceperint. Deunces enim vocantur usuræ, quando undecim in centrum singulis annis penduntur, Dextantes, quando decem, besses, Festo *lib. 2. Antiqu.* bis trientes dictæ, cum octo, semilles, quando sex, quas *Plinius lib. 14. cap. 4.* civiles & modicas appellat, & sic in sequentibus assis partibus.
22. † Quam commodam usurarum partitionem ipse quoque Justinianus retinuit cum ille saluberrimis legibus usuras ab iniquitate

qvitate foeneratorum repurgans promiscuum centesimæ usu-  
ræ cursum, quem Seneca *lib. 7. De ben. c. 10.* sanguinolentum vo-  
cat, abrogaret, ultra duplum eas exigere atque pro ipsis usuris  
usuras stipulari interdiceret, sublatâque discrepantiâ, quæ ante-  
hac inter contractus stricti Juris & b. f. frequentabatur, cer-  
tum modum omnibus communem contractibus determinaret,  
& tantum inter personas usuras constituentes aliquam diffe-  
rentiam relinqueret: ita ut illustres personæ trientes, Merca-  
tores bestiales, reliqui semisses stipularentur. † A quâ tamen <sup>23.</sup>  
communi regulâ paucos casus ipse Imperator excepit. In nau-  
tico enim fœnore usque ad centesimam fœnus stipulari per-  
misit, ut & in certis speciebus colono creditis *N. 32. c. 1. d. l. 26. C.*  
*De usur.* non verò nummis mutuo datis, eorum enim fœnus  
tantummodò trientarium esse voluit *d. N.* Pro pecuniæ quoque  
papillaris usu ut Tutores centesimas solverent, concessit. *l. qui*  
*sine 38 ff. de neg. gest. l. 7. §. 4. & 10. ff. de adm. & peric. tut. l. 1. C. De*  
*usur. pupill.* imperavitque ut à reis post quadrimestres inducias  
à tempore condemnationis connumeratas solutionem sortis  
contumaciter differentibus eadem centesimæ exigenterentur.  
*l. 1. 2. 3. C. De usuris rei jud.* † Novissimis autem imperii con- <sup>24.</sup>  
stitutionibus de anno 1548. & 1577. tit. von wucherlichen  
Contracten, quincunces tantum usuræ communiter fuerunt  
permissæ, quamvis semisses exerceantur de consuetudine; quam  
hîc potissimum inspiciendam *arg. l. 1. l. 37. ff. de usur.* monet Vir  
Juris scientiâ inclytus Joach. Schnobelius, Patruus & Promo-  
tor meus non sine honore nominandus *Disp. ad ff. 22. th. 9. in fin.*  
† Animadvertendum autem hîc est, antequam hoc membrum <sup>25.</sup>  
concludamus eum qui fortè majores usuras, putà quincunces,  
initio contractus stipulatus est, & postea minoribus per lon-  
gum tempus oblatis contentus fuit, majores petere non posse  
*l. 5. C. h. r.* quia recipiendo unum jus alteri renunciare videtur  
& sic facere tacitum pactum de non petendo *d. l. 5. l. semisses 13.*  
*ff. eod.* Quod non solum locum habet in privatis sed & in publi-  
cis causis. *d. l. 5.* quoniam civitas & respublica semper utitur ju-  
re privatorum, nisi specialiter in jure habeat expressum privi-  
legium *Sichard. ad d. l. 5.* † Uti & è contrario is qui aliquandiu <sup>26.</sup>

majores præstitit solutas condicere non potest, nec in sortem computare si sciens id fecit, secus si per ignorantiam. *l. creditor 102. §. 3. ff. de solut.* quâ demonstratâ aut habetur ratio in sortem, aut condicetur indebitè solutum *l. 26. §. 2. ff. de cond. ind.* Atque sic dimensa quantitas est, & integra formæ facies rudi penicillo delineata.

THESIS VIII.

Properamus ergo ad *Finem*, qui est, ut debitor sorte creditoris ad suum commodum & emolumentum utens, creditoris qui ipse sortem in res sibi utiles conferre possit, usurarum penititione lucrum absens resarciat.

THESIS IX.

- § 1. Sequuntur nunc primarii *Effectus*. Efficiunt enim usuræ formâ modò enarratâ donatæ, ut debitor sub legitimis usuris utatur sorte quamdiu conventum fuerit, si vero tempus expressè adjectum non erit, quomodò in iis, qui morâ contrahuntur
2. accidit, sortis usu gaudeat, quamdiu Creditori placuerit. † Deinde ut creditor in b. f. jud. vi contractæ obligationis, principalem actionem ad petitionem usurarum quoque extendere possit. *l. 4. C. depositi.* † Et quamvis sors soluta sit, habeat tamen retentionem pignoris donec usuræ fuerint solutæ. *l. 22. C. de usuris.* † Speciebus verò creditis habeat actionem, ex pacto
  5. nudo *l. frumenti 11. C. b. t.* † Ut denique, quando ex stipulatione debentur usuræ, competat ipsi certi conditio.

THESIS X.

- § 1. Hos *Effectus* excipiunt *Affinia*. Sunt autem præcipuè duo.
2. *Antichresis* & *Præstatio annui redditus*. † *Antichresis* est pignus *l. si pecuniam 33. ff. de pign. act. l. 11. C. b. t. De usur.* ita datum, ut donec debitum solvatur creditor fructibus pignoris utatur fruatur invicem usurarum *l. si is qui bona 11. ff. de pign. & hypothec. l. 14. l. 17. C. de usur.* † Estque vel tacita, ut apparet ex *l. cum debitor 8. ff. in quib. caus. pign. vel hyp. vel aperta*, ut videre est in *l. 14. C. De usur.* † Multumque differt ab usuris. (1) Propriè enim pignus est ut dicit *l. 33. ff. de pign. act.* (2) Non potest stipulari à rustico *Nov. 32. & 33.* usura autem potest *d. N.* (3) Quæ expressa *Antichresis* dicitur certum ubique modum non agnoscit teste *l. 14. C. de*



*C. de usur.* (4) Ob pecuniam creditam Antichresis nudo quoque pacto constituitur *d. l. 14.* cum tamen foenus non nisi stipulatione regulariter contrahatur. *l. 3. C. eod.* (5) Solâ oblatione sortis solvitur, usurae vero non item *l. 11. C. hic & ad eam Godfr. l. 6. eod.* (6) Non tollitur praescriptione 30. annorum æquè ac usura, quemadmodum hoc latè deducit Borcholt. *tr. de usur. c. 6. n. 9. 10. & sequ.* † Devenimus ad *Præstationem annui redditus*, quâ ei qui vel certo pretio vel gratuito dominium suæ rei nobis tradidit ex pacto certam summam annuam solvimus, † Et hæc itidem in multis casibus ab usura discrepat. Primò enim non certam à jure olim quantitatem habuit, sed demum eam anno 30. & 48. superioris seculi in comitiis Augustanis accepit ad modum permissarum usurarum. *Gail. 2. obs. c. 5. & 9.* Deinde non itidem ut usurae præscribuntur hæc præstationes 30. aut 40. annorum spatio. *Gloss. in c. constitutus de relig. dom. Covarruv. Tom. II. var. resol. 3. c. 7. n. 1. p. 217.* Ad extremum & hæc differentia notanda, quòd licet per aliquot annos minores redditus accepti fuerint non tamen propterea majores in posterum curere designant secundum Salicetum & alios *in l. adversus 5. C. de usur.* Reliqua quæ ad has præstationes pertinent consultò prætermittimus, & contraria quæ ultimo loco explicanda veniunt, proponimus.

#### THESIS XI.

Sunt autem *Contrarii* casus duplicis ordinis, quidam enim pro parte, quidam in totum obligationem usurarum extinguunt. † Pro parte tolluntur usurae, quando vel pars tantum sortis prævio tamen creditoris consensu, soluta *l. Tenor condemnatus 41. ff. h. t.* vel etiam pars à creditore, sive expressè, sive tacitè, puta accipiendo per multos annos minores, *l. 5. l. 8. C. h. t.* remissa est. † In totum perimitur debitum usurarium in genere omnibus iis modis, quibus obligatio principalis extinguitur. Principali enim actione non subsistente satis supervacuum est super usuris judicem cognoscere. *l. 26. C. hic l. 129. l. 178. ff. de R. 7.* † In specie verò tollitur, si (1) Sors cum usuris opportuno tempore & loco *l. 39. ff. de solut. testibusque præsentibus l. 6. C. hic oblata*, & (si fortè creditor eam accipere noluerit)

rit) ob signata atqve in loco publico deposita est l. 2. l. 6. l. 9. l. 11. l. 19. C. De usuris & l. 9. C. de solut. (2) Si usura sortem ipsam æquaverunt, tunc enim de Jure Civili (de modernâ enim consuetudine id abrogatum censent Pet. Surd. *consil.* 302. n. 2. Cothm. *vol.* 2. *consil.* 52. n. 259. Anth. Matth. *coll. Pand. diff.* 30. *rb.* 25.) etiam si priores per intervallum solutæ l. 29. C. *hic* aut pignore corroboratæ fuerunt l. 27. C. *cod.* exigi amplius non possunt. Quod tamen de illis usuris quæ privatis promissæ intelligendum est; nam civitati in causis publicis omninò debentur juxta *Nov.* 160. (3) Si legitimū modum superant & ipsis usuris adjectæ sunt. Quamvis enim tales olim in sortem redactæ fuerint. l. 26. §. 1. ff. de *cond. ind.* l. 28. C. de *usur.* Novissimis tamen imperii constitutionibus de anno 1548 & 1577. tit. von *Wucherlichen Contracten* sancitum est ut earum promissio infirma prorsus & invalida pronuncietur, & ejusmodi usurarii, etiam Jure Civili infames, l. 20. C. *quib. caus. inf. irr.* in super quartâ parte sortis multentur, ut refert *Denaf. in comp. jur. Cam. civ. de contr. usur.* (4) Si actor in b. f. judiciis negligens sortem tantummodò petit; sic enim, reo duntaxat in sortem condemnato, usuras finito judicio petere non potest l. 4. C. *depositi* quia in his non sunt duæ actiones, alia sortis, alia usurarum, sed una: ex quâ condemnatione factâ, iterata actio rei judicatæ exceptione repellitur, ut loquitur Gordianus Imperator *d. l. 4.* (5) Si creditor eas remiserit vel expressè acceptum habendo, vel etiam tacitè petitionem intermittendo l. *cum quidam* 17. §. 1. ff. de *usur.* Hic filum abrumpendum est, quoniam integra tela jam est contexta. Tu vale, bone Lector, & hos juveniles conatus perpetuâ benevolentia fove.

S. D. G.

1011







~~47~~-43.

43

DEO TRINUNO AD-JUVANTE!  
PERICULUM HOC JURIDICUM

*De*

# USURIS,

Auctoritate & consensu Amplis-  
simi Jctorum Ordinis in Academia  
Lipsiensi,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI*

*Nobilissimi, Amplissimi & Excellentissimi*

DN. QVIRINI SCHACHERI,  
Ph. & J.U.D. P. P. P. Judicii Appellationum,  
Electoris Saxonie Consiliarii, Consistorii Lipsiensis Adses-  
soris, nec non Juridicæ Facultatis Senioris, Patroni & Pro-  
motoris sui æternum colendi,

*facere intendit*

JOACHIMUS SCHNOBELIUS, Hamb.  
A. & R.

IN ACROATERIO PETRINO

ad diem 4. Maji.

ANNI M. DC. LV.

Horis Consuetis.

LIPSIÆ, Ex Officina BAUCHIANA.

*Mon. J. J. P. v.*

